

rizontem, seu spatium temporis, quo Sol infra Horizontem moratur.

Ex quibus patet, Naturalem diem constare integro circulo seu parallelo (vel potius spirâ, spiraliter enim movetur Sol circa Terram ab uno Solstitiali puncto ad alterum) quem Sol motu diurno circa Terram conficit: Artificialem verò diem constare circuli seu paralleli illius arcu, quem Sol conficit supra Horizontem; Artificialem noctem arcu, quem conficit infra Horizontem. Quoniam igitur arcus illi sunt in diversis regionibus varii, prout varia est poli elevatio; sequitur dies quoque & noctes artificiales esse varios.

## §. II.

### *Triples est Horizon, triplexque Sphæra.*

**H**Ujus rei causa ut intelligatur, sciendum triplicem ab Astro-  
 nomis distingui Horizontem, rectum, obliquum, paralle-  
 lum; qui constituunt etiam triplicem Sphæram, (sic Astronomi  
 loquuntur) rectam, obliquam, parallelam, ortas ex diversa poli  
 altitudine. Quæ ut explicem, & Tyro intelligat, propono con-  
 siderandas quinque sequentes Figuras, in quibus notanda sunt se-  
 quentia.

I. In quatuor prioribus Figuris lineam QR, in quinta verò  
 Figura lineam BA referre Horizontem. II. In prima Fi-  
 gura lineam AB, in secunda lineam HP, in tertia & quarta  
 lineam BG, in quinta denique lineam QR referre circulum  
 Verticalem primarium. III. In omnibus quinque Figuris li-  
 neam AB esse Æquatorem, & DE, FG, HI, KL, MN, OP,  
 esse Parallelos Solis, quos Sol initio Signorum motu diurno de-  
 scribit circa Terram. Describit autem non tantum sex, sed  
 tot Parallelos, ut dixi Cap. præcedenti §. XI. quot annus  
 dies habet, hoc est, singulis diebus unum. IV. In prima Fi-  
 gura & quinta lineam QR, in secunda, tertia, & quarta lineam  
 ST repræsentare axem Mundi, cujus extrema sunt poli aste-  
 risco notati. V. In omnibus quinque Figuris punctum C me-  
 Ffff dium

Horizon  
triplex, re-  
ctus, obli-  
quus, pa-  
rallelus.

vid. Iconis.  
XLV.